

quomodo hoc increatum quod est volitio, sit indifferens? Et sicut productio increata libera dicitur, cur velle increatum, indifferens non erit? Et instauratur ibi argumentum sæpe factum, quia id quod addit seu importat productio in quantum increata, est aliquid intrinsecum quod potest abesse a Deo, et libere illi inest, et sic reciditur in sententiam Cajetani quod aliquid intrinsecum Dei possit non esse in Deo: vel importat aliquid extrinsecum etiam ipsi productioni, et ipsi Deo, et sic est aliquid creatum et effectus productionis, et sic reciditur in sententiam Vasquez quod ex aliquo creato, seu ex effectu Dei sumitur ipsum fundamentum relationis rationis, sive quo divina volitio non est libera et determinata.

XXIV. Et præterea magnum inconueniens est, quod cum voluntati essentialiter et primordialiter competat jus libertatis, et ab ea habet executio ejus quod sit libera, quia videlicet dirigitur et derivatur a libera voluntate, dicatur modo quod voluntas in suo intrinseco velle non sit libera et productio ad extra, quæ est executio hujus voluntatis, præbeat illi indifferentiam, et libertatis rationem seu determinationem. Unde recurrit hic iterum vitiosus ille circulus quo rotatus est Vasquez, scilicet quod productio ad extra, cum sit executio voluntatis, ideo est libera, quia liberæ voluntatis executio est, et a libera voluntate descendit: nam si a necessaria volitione descenderet, non esset in manu ejus non exequi: necessario enim executio illa ex voluntate esset: ergo non posset a voluntate retineri, etsi libera non esset. Ideo ergo libera est, quia liberæ voluntatis, et non necessariæ executio est. Ex alia autem parte dicunt hi auctores, quod volitio illa ideo libera est, quia productio, seu executio est libera, et

ex ejus indifferentia completur: ergo non evitant circulum Vasquez. Ac denique sequitur Deum esse liberum, quia potest producere et non producere, non quia potest velle et non velle, quod totum Aureolus dicebat.

XXV. Denique, volitio et decretum divinum est causa et ratio productionis rerum ad extra, ita quod hæc causalis est vera: Quoniam voluit, fecit, sed non est causa faciendi volitio, ut necessaria aut indifferens ad agere et non agere: ergo ut determinata: ergo productio ipsa non determinat libere in ratione volendi, sed supponit liberam determinationem in esse volitivo. Major exprimitur a D. Thoma q. xxiii de verit. art. iv ad xv: « Voluntas ad volitum habet duplicem respectum: primum ad ipsum in quantum est volitum: secundum vero habet ad idem in quantum producendum in actu, et hic respectus præsupponit primum. » Et deinde negari hoc non potest salva Scriptura, ut cum dicitur Psalm. xvii: *Salvum me fecit quoniam voluit me.* Job: i: *Sicut: Domino placuit, ita factum est:* Jonæ i: *Tu Domine sicut voluisti, fecisti:* Psal. cxxxiii: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit:* Judith ix: *Hoc factum est, quod ipse voluisti:* Actorum iv: *Convenerunt Herodes, et Pontius Pilatus facere, quæ manus tua, et consilium tuum decreverunt fieri.* Jam si vera est sententia horum auctorum, quod productio formaliter determinat velle divinum, ut sit libere volens, determinate potius quam nolens: ergo ideo libere vult, quia libere producit et facit, non e converso, quia vult facit, et sic erit sensus, salvum me fecit quia voluit, id est, salvum me fecit, quoniam me fecit; quid insulsius? Sicut Dominus fecit, ita factum est: *Tu Domine sicut fecisti, fecisti: Omnia quæcumque fecit,*

Dominus fecit, etc. Hoc autem est totam Scripturam vertere, et ad improprietates relegare, et non propriam volitionem Deo tribuere, sed metaphoricam, id est, productionem pro volitione. Minor vero est constans, quia volitio Dei ut necessaria vel indifferens non magis est causa producendi quam non producendi: ergo non est causa determinate faciendi magis quam non faciendi; et præsertim quia voluntas sub hac indifferentia non solum respicit volenda, sed etiam nolenda, non solum facienda, sed etiam non facienda, et sic omnia ad quæ se extendit volitio indifferens, sunt tam quæ facit quam quæ non facit, tam quæ vult quam quæ non vult: indifferentia enim omnia ista complectitur: ergo falsa esset illa locutio: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit,* si ly voluit sumitur indifferenter, et non determinate pro velle, ut distinguitur a nolle. Patet consequentia, nam ly voluit indifferenter sumptum complectitur tam volenda quam nolenda: ergo sensus esset, omnia volita et nolita fecit. Quid absurdius? Cum nolente Deo nihil fiat. Et cum dicitur: *Hoc factum est quod ipse voluisti,* si ly voluisti sumatur indifferenter pro velle et nolle, est sensus: hoc factum est quod voluisti, vel noluisti. Quæ omnia absurdissima sunt. Si vero sumatur velle pro velle determinato, ut distinguitur, et hoc habet per ipsum facere seu producere, sensus erit: quæ voluit fecit, quæ fecit fecit. Si vero datur velle determinate ante producere, hoc est intentum.

ARTICULUS IV.

Mens D. Thomæ circa liberam volitionem Dei.

I. Tantam variarum opinionum sententem, et excrescentes vepres mi-

rum quam paucis verbis præcederit S. Thomas. Versans enim hanc difficultatem cum in hac quæstione XIX, art. iii, tum in i contra gent. c. lxxxii, docet habitudinem ad volita creata non esse necessariam in Deo, et quod determinatur a se non aliunde, nec quasi in potentia existens ad aliquid, sed ex eo quod habet ex se necessitatem. Mirum dictum! Quod idem immutabile et necessarium in se existens fundet habitudinem contingentem ad aliud, quia ex se necessitatem habet. Si hoc evolvere possimus, totam difficultatem ex mente s. doctoris exhausturimus. Igitur in hac prima parti q. xix, art. iii ad v, sic D. Thomas dicit: « Ad quintum dicendum, quod causa quæ est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet determinat seipsam ad volitum ad quod habet habitudinem non necessariam. » In hoc ergo consistit totum hoc mysterium secundum D. Thomam, quod habitudo contingens seu non necessaria potest habere fundamentum necessarium et immutabile, nec indiget aliquo extrinseco dante indifferentiam, dummodo terminus ad quem est talis habitudo, sit contingens, et omnino subjectum illi necessario, sine dependentia aut indigentia istius ab illo. Hoc enim est proprium rei æternæ et immutabilis quod potest immutare alia, et in illis ponere contingentiam sine mutatione in se, quia est pure immutans, et nullo modo mutabile. Et ad hoc servit doctrina, quam ponit S. Thomas citato loco contra gentes, ubi solvens illam difficultatem quomodo voluntas divina se habeat ad utrumlibet, quod est habere contingentiam sine hoc quod sit in potentia ad utrumque, dicit: « Quod esse ad utrumlibet potest dupliciter conve-

nire alicui virtuti. Uno modo ex parte sui : alio modo ex parte ejus ad quod dicitur. Ex parte quidem sui, quando nondum est consecuta suam perfectionem per quam ad unum determinetur ; unde hoc in imperfectionem virtutis redundat, et ostenditur esse potentialitas in ipsa. Ex parte autem ejus ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad utrumlibet esse, quando perfecta operatio virtutis a neutro dependet, sed tamen utrumque esse potest, sicut aliquis qui diversis instrumentis uti potest æqualiter ad idem opus perficiendum. Hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad ejus eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit, et ob hoc determinatur ad neutrum, sed ad utrumlibet se habet. Sic autem est in divina voluntate respectu aliorum a se : nam finis ejus a nullo aliorum dependet, cum tamen ipsa fini suo sit perfectissime unita. Non igitur oportet potentialitatem aliquam in divina voluntate ponere. » Sic D. Thomas.

Ex his ergo elicio mentem D. Thomæ duabus conclusionibus. altera ad distinguendum volitionem ut liberam a seipsa ut necessaria : altera ad distinguendum rationem volitionis a nolitione, etiam in ipso actu ut libero.

II. Prima conclusio : Volitio Dei ut libera, et ut distinguitur a ratione necessariæ volitionis est actus immanens et intrinsecus Deo, distinguiturque a ratione actus necessarij, quod volitio ut necessaria respicit divinam bonitatem ut objectum sibi omnino adæquatum, in eo ut omnino identificatum sibi : ut autem libera non constituitur per ordinem ad objectum creatum, quod est extra se, nec per habitudinem realem, quæ esset dependentia, nec per habitudinem rationis, quæ est quid fictum, et non constituit formaliter

actum realiter liberum ; sed potius importat et dicit summam et absolutam independentiam a creaturis, et summam subjectionem creaturarum ab ipsa, ideoque non tam respicit illas ut objecta, quam ut effectus inadæquatos, contingentes, et sibi non necessarios. Solum autem objectum proprium illius actus est bonitas divina, creaturæ autem effectus sunt illius, etiam ut volitio est. Hanc conclusionem statuimus contra Aureolum, et alias sententias quæ ex illa deducuntur et supra manent impugnatæ, quatenus indifferentiam et libertatem Dei non ponunt in ipso velle intrinseco divino, sed in ipso operari divino, ita quod sit indifferens in operari, non in velle, sed solum dicitur velle determinate, determinatione, vel denominatione sumpta ab operatione, vel ab affectu. Et primo, quod volitio in quantum libera, sit intrinseca in Deo, quod est esse ipsum actum immanentem et non operationem transeuntem producendi seu operandi ad extra. Probat, nam velle illud divinum quod in Deo est actus secundus sicut intelligere, vere, et realiter versatur circa creaturas, non solum in linea producendi et operandi ad extra, sed in linea volendi, et per modum inclinationis internæ, ita quod non solum Deus se vult, et se amat, sed etiam creaturas actu immanenti, qui solum est volitio : ergo ipse actus ut immanens et intrinsecus in Deo in ratione volitionis libertatem habet.

III. Antecedens negari non potest : nam creaturæ habent esse et bonitatem participatam a Deo : ergo sunt objectum amabile, quia bonum et appetibile idem sunt, et sunt cognitæ et intellectæ a Deo : ergo per ipsum velle divinum ut actus immanens est, attingi et amari possunt, nihil enim aliud requiritur ut aliquid per voluntatem attingatur,

quam ut sit bonum cognitum ab intellectu ; creaturæ autem sunt bonæ, et cognitæ ab intellectu divino : ergo amabile objectum sunt ab ejus voluntate, etiam secundum quod amabile distinguitur a producibili, et amare a producere. Et sic Scriptura divina significat non solum productionem Dei, sed etiam amorem et voluntatem attingere creaturas, Joan. II : *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Quis autem dicat facere hunc sensum : Sic Deus produxit mundum ut Filium suum daret? Cum productio mundi non inferat donationem Filii : productus enim est mundus a Deo auctore naturæ, datus vero est Filius ex amore Dei auctoris supernaturalis : non ergo sic produxit ut daret Filium, sed sic dilexit productum ut daret Filium. Nec illa dilectio mundi fuit ipsa datio Filii : tunc enim esset sensus : sic dedit Filium mundo, ut daret Filium, quæ est stupida locutio. Et idem in aliis locis Scripturæ videre est, ut Psal. XVII : *Salvum me fecit, quoniam voluit me,* et aliis supra relatis et ponderatis.

IV. Consequentia vero probatur, quia volitio Dei ut actus immanens volitionis, et in linea volendi, ut distinguitur a linea producendi versatur circa creaturas, quantum ad earum esse et bona quæ eis vult : sed non versatur illa volitio et ille actus immanens necessario circa illas creaturas, alias si necessario essent volitæ, non possent non esse, quia voluntas Dei necessario non potest non semper operari libere.

Confirmatur, quia ratio liberi maxime debet esse voluntaria, et a principio intrinseco : ergo non potest voluntati convenire ex denominatione ab aliquo extrinseco, seu ab aliqua actione consecuta ad ipsum velle, et executiva voluntatis. Ante-

cedens est certum, quia illud primo et per se dicitur liberum, quod primo et per se est electivum, potestque discernere inter unum et aliud ex judicio et collatione rationis : inde enim maxime dicitur aliquis arbitrio regi, quia ex electione propria movetur et non ex obligatione aut naturali instinctu, ut hic docet S. Thomas q. XIX, art. X, et infra q. LXXXIII, art. I et art. III, ubi dicit : « Quod vis electiva est liberum arbitrium. » Sed eligere, et libere operari maxime fit per inclinationem ab intrinseco se moventem, non ex sola productione indifferenti. Nam si indifferenter operari est solum operari diversa et varia : hoc etiam habet cælum et sol, nec tamen est liber : si autem indifferenter operari est cum potestate arbitrandi et eligendi ut fiat vel non fiat operatio, talis indifferentia supponit inclinationem indifferentem ; hæc autem inclinatio debet esse ipsum velle, et ipsum intrinsecum appetere ex propria inclinatione et dominio. Nec potest esse aliquid rationis, ut ex dictis in præcedenti articulo constat ; tum quia Deum velle creaturas, sicut et producere non est aliquid fictum, sed reale ; tum quia velle ipsum quod in Deo reale est etiam in quantum realis actus attentivus est creaturarum, et non solum sui, quia realiter amari possunt, et voluntatem amare aliquid reale est, sicut etiam intelligere creaturas, et producere, et providere illis ex parte Dei, aliquid reale est ; tum denique, quia libere et cum dominio et arbitrio se habere ad alia ad perfectionem et superioritatem pertinet : ergo ad realitatem et non ad aliquid fictum et rationis. Sic ergo ratio liberi primo et per se inclinatione interiori, quæ est ipsum velle, inveniri debet, non in operatione ad extra : sed si ista est indifferens indifferentia potestatis et do-

minii, est ex voluntate et inclinatione interna explicata in operatione.

V. Ex his explicari possunt reliquæ partes conclusionis. Nam quod hæc libertas consistat in summa et absoluta independentia illius volitionis erga creaturas, quas respicit ut objecta inadæquata, explicatur ex eo, quod libertas in nobis postulat independentiam ab objecto, non quidem in specificando actum, quia in hoc dependet necessario actus ab objecto in specificatione sua, quæ desumitur ab objecto, sed in movendo ad exercitium actus, eo quod objectum circa quod est actus liber, debet esse tale, quod non cogat potentiam ad habendum actum, nec superet totam resistantiam illius, sed licet possit allicere et attrahere potentiam, non tamen omnem ejus adæquationem superet; unde quoad hoc est independens potentia ab objecto, et est domina sui actus, et in tantum est domina, in quantum minus subjecta, et dependens, ne moveatur et subjiciatur objecto, nisi secundum quod voluerit. Major ergo dependentia actus ab objecto, minuit de dominio et libertate actus, et minor dependentia auget libertatem et dominium. Ubi ergo fuerit summa et absoluta independentia voluntatis erga aliqua objecta, non solum in movendo voluntatem, sed etiam in specificando, aut terminando actum, quia non dependet specificatio illius actus, et ejus consistentia a tali objecto; licet potest super illud non per dependentiam aut necessitatem actus etiam in sui terminatione ab illo, sed per subjectionem omnimodam illorum objectorum ad se, talis volitio erit summe libera, et indifferens, indifferens et libertate dominii, non potentialitatis, quia videlicet excedit utrumque eminentia sua, non per tendentiam ad aliquod illorum

perficitur, nec per additionem aut mutationem in se. Libertas autem et indifferentia dominii fundatur super independentia, quia opponitur subjectioni et servituti, quæ est per dependentiam: in illa ergo summa et absoluta independentia volitionis consistit libertas divina. Et cum non sit independentia penes egressionem actus a potentia, vel non egressionem, quia in Deo tantum est actus secundus et purissimus et unicus, fit ut dependentia sit in tangendo vel non tangendo objecta illa, non per terminationem, qua indigeat actus terminari, sed qua potest se communicare, et subjicere sibi objecta illa: sicut personalitas divina quæ terminat naturam divinam potest terminare naturam creatam, vel non terminare sine additione aliqua sui, sed per puram mutationem naturæ creatæ; et actio divinæ omnipotentiae potest inferre passionem et mutationem in tempore in creatura, non per additionem aliquam ad se, sed per solam mutationem creaturæ.

VI. Quod autem hæc sit perfectissima et actualissima et intima libertas, constat ex dictis, quia est magis independens, et minus subjecta, vel desumpta ab aliquo extrinseco: ergo magis dominativa et superior: ergo magis perfecta et in actu, imo actus ipse secundus libertatis, et magis intima, quia minus ab extrinseco desumpta aut dependens. Et quidem in libertate creata invenimus majorem dependentiam, potentialitatem et subjectionem, tum ab aliquo intrinseco quod est ipsa potentia; tum ab aliquo extrinseco quod est objectum, et quanto magis est de dependentia, et subjectione, tanto minus est de libertate: nam imprimis dependet actus a potentia, ut ab eliciente, ab objecto ut a determinante specificative et alliciente moraliter a Deo ut

a causa prima influente et movente. Semel autem egresso actu, ita dependet ab objecto in specificatione ab illo, et terminatione ad ipsum, quod non sit in manu ejus, aut non tangere objectum, aut non terminari ad ipsum: in hoc ergo libertas illa est minus perfecta et magis subjecta, et sic minus libera et dominativa. Quod totum secus accidit in divina, quæ nec est actus egrediens a potentia, neque dependens ab objecto creato in sui terminatione aut specificatione, sed objectum pendet ab ipso, et sic si terminetur ad objectum, est per dependentiam objecti a se, non sui ab objecto.

VII. Secunda conclusio: Volitio in Deo ut determinate est volitio distincta a nolitione, vel in quantum est volitio magis ad unum quam ad aliud, non id habet formaliter, et per locum intrinsecum ex aliqua diversitate objectorum, quæ in sua significatione includat, aut ex habitudine rationis ad ipsa tamquam ex ratione formali, sed ex absoluta et intrinseca actualitate sua ut immutata et necessaria in se, immutante autem objectum seu communicante rationem objecti non necessario; nolitio autem ex eadem immutata et necessaria actualitate, ut non immutante nec constituyente rationem objecti. Itaque sicut omnipotentia Dei, quæ est etiam actus secundus operandi ad extra in se immutata immutat aliquas creaturas, alias non, et non semper immutat, sed in tempore, quo determinat et vult, non quod per hoc aliquid ponatur vel tollatur ab actione divina, sed tota immutatio est in creatura: et sicut Persona Verbi modo terminat naturam humanam, non ante, sine hoc quod aliquid accrescat ipsi Personæ, sed tota mutatio tenet se ex parte creaturæ, ita in actu immanente volitionis divinæ creatura participat rationem objecti, et constituitur in

ratione talis per hoc quod subjicitur volitioni, quod est amare illam, vel non subjicitur quod est nolle, sine aliqua mutatione ex parte actus, sed tota mutatione se tenente ex parte creaturæ. Nec est reddenda causa, quare Deus vult hanc creaturam, aut non vult illam ex parte ipsius creaturæ, sed ex parte ipsius Dei qui vult hanc creaturam, non quia elicit actum volendi, sed quia suo actu voluntatis subjicit eam sibi ut existat, et sic constituit illam in esse objecti voliti, non vult aliam creaturam, non quia elicit actum nolitionis, sed quia est ipse actus nolitionis, non subjiciens sibi creaturam ut existat in tempore. Et sicut potuit subjicere illam creaturam amando, potuit non subjicere, et tunc esset nolitio. Et melius dici-mus subjici creaturam aut non subjici, quam objici vel non objici, quia revera creaturæ non tam comparantur ad voluntatem divinam ut objecta antecedenter moventia, quam ut effectus consecuti, et si sunt objectum habent participare rationem objecti, et constitui in eo ab ipso actu, quod est esse effectus ejus.

VIII. Hanc resolutionem elicio ex D. Thoma supponendo id quod notissimum est, eandem difficultatem esse, et eandem rationem reddendam inter volitionem et nolitionem divinam circa creaturas; atque inter volitionem magis ad unam quam ad aliam, quia hoc ipsum quod est velle, seu amare magis unam creaturam quam aliam, est velle aliquod bonum uni, quod non alteri: non enim est magis vel minus ex parte actus divini, sed ex parte rei volitæ, quæ est major pro una, quam pro altera, et illud majus quod est volitum uni, est nolitum alteri. Eadem ergo est ratio volitionis et nolitionis absolute, quæ volitionis secundum magis et minus. Loquens autem D,